

EX LIBRIS
ILLVSTRISSIMI VIRI,
DN. DAN. LVDOLPHI,
LIB. BAR. de DANCKELMANN,
S. REG. MAI. BORVSS. CONSILIARII
STATVS INTIMI, cetera,
BIBLIOTHECÆ ACAD. FRIDERICIANÆ
TESTAMENTO RELICTIS.

Fe. 21.

16
DE FEBRIBUS

DISPUTATIO XIII.

De

VARIOLIS, MOR-
BILLIS, FEBRE PETE-
CHIALI ET SUDORE ANGLICO;

Cujus Theses,

CUM DEO,

SUB PRÆSIDIO

DANIELIS SENNERTI, D.

Facultatis Medicæ Professoris ac Senioris,
& Sereniss. Electoris Saxon. Medici,

Publicè defendendas suscipiet

ZACHARIAS POLNERUS
Vratislaviensis Silesius.

Habebitur ad diem 1. Novembr.

In Auditorio Medicorum,
Horis matutinis.



WITTEBERGÆ,

Typis Hæredum SALOMONIS AUERBACH,
Anno M. DC. XXVIII.

DE FEBRIBUS

DISPUTATIO XVII

DE

VARIOLIS MOR

BILLIS FEBRE PETE

CHALI ET SUDORE ANGILO

Cujus Thesis

CUM DEO

PER PARADO

DANIELIS SENNERTI D

Facultatis Medicæ Professoris ac Senioris

& Senioris Electoris Saxon. Medici

Publicæ dispensationis Inspector


SACHARIAS POLNERUS

Præceptoris Sennerti

habentis ad hunc in

In Auditorio Medicorum

Hortu matutinis



WITTEBERGÆ

Typis Heredum SALOMONIS KLEBERCI

Anno M. DC. XXVIII





Σὺν Θεῷ.

THESIS I.

Fisi malignitatis, à qua febres malignæ denominantur, natura occulta sit, & hinc multa de differentiis harum febrium dici non possint: non una tamen etiam ejusdem ratio est, sed effectibus & symptomatibus aliqua varietas sese prodit; unde etiam febrium malignarum quædam differentiæ constituuntur, de quibus in specie jam breviter dicemus.

II. Primò occurrunt febres, in quibus in cute nunc tubercula quædam erumpunt, nunc efflorescentiæ seu maculæ quædam apparent. Græci ea ἐξανθήματα & ἐκθύματα, Latini papulas & pustulas appellant: hodiè variolæ & morbilli dicuntur. Quæ nomina, etsi non ab omnibus eodem modo usurpentur, pleriq; tamen hodie variolas quasi parvos varos nominari putant, & nomen hoc tribuunt pustulis illis eminentibus humore plenis, quæ plerumq; suppurantur, quas Germani die Blattern & Pocken nominant, morbillos verò appellant maculas in cute efflorescentes seu potius exigua in cute tubercula, quæ Germani die Masern vocant.

III. Variolæ nimirum sunt pustulæ in summa cute partibusque cuti respondentibus cum febre continua erumpentes, propter peculiarem sanguinis effervescentiam à facultate expultrice excitatæ; Morbilli verò maculæ aut tubercula parva rubra in cute erumpentia, itidem à facultate expultrice & sanguinis peculiari ebullitione excitata.

IV. Utriusq; generis aliquæ sunt differentiæ. Variolæ enim sunt aliæ majores, aliæ minores; quædam albicant, quædam li-
vent vel alterius caloris sunt, quædam statim erumpunt & in

altum attolluntur ac maturantur, & circulo rubro cinguntur & sine gravibus symptomatibus erumpunt, & periculosa non sunt: Aliæ sunt lividæ, tardè erumpunt, vel statim subsident, & habent circulum lividum, & periculosæ sunt.

V. Pertinent ad variolas & pustulæ illæ lupini ferè magnitudine in corpore erumpentes, ac instar crystalli splendentes, è quibus aquositas quædam effluit, quas nonnulli idcirco crystallos nominant: Germani die *Schaffblattern* oder *Windboesen* / quæ sunt minus periculosæ & citra insignem febrem plerumque erumpunt.

VI. Ad variolas deinde pertinent & tubercula illa, sine multa sanie sparsim nec copiosè erumpentia, quæ Germani die *Steinboesen* nominant, & sunt omnium minutissimæ variolæ & minimè periculosæ, quæ pene citra febrem infantes invadunt, ac citissimè etiam sanantur, ut infantes rarò decumbant.

VII. Pertinent ad variolas & exanthemata ac tubercula exigua rubra, cum calore atq; tussi invadentia & aliis morbillorum symptomatibus, minus tamen quam alii morbilli, periculosa: Germani die *Rittel* sive *Rötteln* à rubore appellant. Invadunt autem quandoque sola, quandoq; variolis insparguntur, quandoque in sanatis superveniunt. Quod malum Rubeolam appellare videtur Halyabbas, *lib. 8. theriac. cap. 14.*

IX. Est propterea alia, sed rarior exanthematum differentia, quæ ad morbillos referenda videtur; quam Neapolitani *Rossaniam* & *Rossaliam* nominant, ut refert Johannes Philippus Ingrassias de tumoribus, purpuræ & rubores ac *sequentiæ* ab aliis appellari videntur: Quidam tamen purpuræ nomen etiam petechiis tribuunt.

IX. Sunt autem maculæ rubræ & quasi ignitæ, cum vix effatu digno tumore per universum corpus quasi quædam Erysipelata parva, in principio morbi seu die quarto vel quinto morbi erumpentia. Progressu morbi totum corpus occupant, ut & quasi ignitum appareat, ac si universali Erysipelate laboraret; quod declinatione iterum, ut in principio in maculas mutatur, quæ tandem septimo die evanescent, Epidermide squammarum instar decedente.

X. Sub-

X. Subjectum macularum & morbillorum cutis est, & partes aliæ cuti proportionè respondentes. Deprehensum enim mortuis viscerum superficiem æquè ac cutem extra his tuberculis ac pustulis scædatam fuisse.

XI. De causa horum affectuum gravissima & difficilis inter Medicos agitur controversia. Arabes & qui eos sequuntur, causam variolarum & morbillorum referunt in immunditiam sanguinis à primo ortu contractam ex sanguine menstruo, quo infans in utero alitur. Relictam enim hanc in corpore labem tam diu delitescere docent, donec agitata instar fermenti faciat, ut totus sanguis instar musti effervescat, & ita quicquid impuri in eo est, secernatur, atq; ad ambitum corporis pellatur. Idque ideo sic statuerunt, quod viderent omnes ferè homines variolis & morbillis corripì: & qui semel vel bis iis laborarunt, postea ferè ab iis immunes esse.

XII. Alii verò sese huic sententiæ opponunt, & ex causa cœlesti occulta mala hæc provenire statuunt, cujus impressionem puerilis ætas infirmior facilius sentiat quam adulta robustior: neq; probabile putant, infantes in utero impuro sanguine nutriri, aut tam diu labem hanc in homine latere posse, cum notum sit, non solum infantes sed & juvenes, imò ætate confectos & senes hoc morbo laborasse, qui antea & febribus & scabie laborarunt, quibus merito si quid impuri in sanguine fuerit, absumi debuit.

XIII. Verum cum utraq; opinio suas difficultates habeat & probabilibus etiam rationibus nati videatur, utramq; jungemus. Etenim si variolæ & morbilli sint Epidemii & contagiosi, negandum est, ex peculiari quadam aëris maligna dispositione eos tum oriri, quam infantes utpotè teneriores citius percipiunt. Etsi negandum non sit à causa externa etiam intus latentem labem in quibusdam in actum deduci posse. Si tamen vis illius malignitatis sit major, etiam adulti quandoque iis corripuntur.

XIV. Si verò sparsim vagantur variolæ, & morbilli credibilis est ex privata cujusq; corporis vitiosa dispositione in

utero contracta eos provenire ; præcipuè si nullum in aëre vitium percipiatur. Etsi enim foetus in utero optimam sanguinis materni partem attrahit: tamen ubi is grandior factus & copiosiore alimento indiget, vix fieri potest, quin simul aliquid de pravis humoribus secum attrahat, qui in gravidis cumulari solent. Unde compertum, infantes variolis & morbillis laborantes in lucem editos vel statim post ortum iis correptos fuisse.

XV. Non tamen impossibile videtur, etiam post ortum è victu pravo simile vitium ei, quale ex sanguine menstruo in utero, contrahi posse. Idq; in iis locum habere potest, qui bis vel ter variolis & morbillis corripiuntur. Etsi hoc & ea de causa fieri possit, quod ex primo fomite & inquinamento aliquid relictum fuerit.

XVI. Erumpunt autem variolæ & morbilli semper cum febre. Per crisin enim quondam excitantur, & ebullitio illa non solum in venis subcutaneis, sed etiam majoribus accidit; unde calor cordi communicatur & febris accenditur. Febrisq; illa est Synocha putrida, ut ex calore æquali & materia in variolis conclusa satis apparet. Et pro ratione materiæ febris nunc major, nunc minor est. Et quæ mites sunt, sæpè intra paucos dies evanescent, nec ab infansibus, imò adstantibus, attenduntur: Nonnunquam pestilentem naturam hæc febres induunt, unde multi infantes extinguuntur.

XVII. Est autem variolarum & morbillorum quædam differentia in substantia, quantitate & qualitate. Secundum Substantiam, prout hoc vel illo humore constant: Secundum Quantitatem aliæ magnæ sunt ac multæ, aliæ parvæ, paucæ: Secundum Qualitatem aliæ sunt albæ, aliæ rubicundæ, flavæ, lividæ, violacæ. Aliæ subito erumpunt, aliæ lentè; aliæ mox sanantur & evanescent, aliæ diu durant: Aliæ externas solum corporis partes occupant, aliæ etiam internas.

XVIII. Ubi autem imminet variolæ & morbilli, adfunt dolor capitis, oculorum, gutturis; narium pruritus, sternutatio, terror in somno, paroxysmi Epilepticis similes, dolor dorsi,

dorsi, ardor & punctiois sensus in cute: Difficultas spirandi; tussis sicca, tremor pedum, oscitatio, pandiculatio, cordis palpitatio. Quæ læsæ actiones accidunt ex sanguinis ebullitione ac fuliginibus inde per totum corpus dispersis.

XIX. Urina sanorum urinæ sæpè non est dissimilis, materia vitiosa ad ambitum corporis protrusa: interdum etiam turbidæ, ob magnam humorum ebullitionem. Hæmorrhagiarum est frequens, lacrymæ spontè ex oculis solent erumpere aut oculi lacrymabundi apparent: vomitus quoq; interdum accidere solet. Facies ac oculi rubent, cutis est aspera; vox rauca. Tandemque etiam febris ex humorum ebullitione accenditur.

XX. Hæc ergò signa pleraque si adsunt, & circa tertium, vel quartum diem augentur, ac maculæ quædam rubentes in cute apparent; imminentium variolarum vel morbillorum indicium est. Augeturque hæc suspicio, si variolæ vel morbilli publicè grassantur. Paulò post maculæ illæ vel instar granorum milii in altum attolluntur; postea in pustulas sanie repletas mutantur, ac variolæ fiunt, vel in latum extenduntur, & exigua tubercula fiunt, & morbilli excitantur.

XXI. Humorum autem natura præcipuè ex colore cognoscitur. A sanguine enim bilioso si sint variolæ, magis rubescunt & majorem pruritem conjunctum habent: à pituita colorem album; à melancholia nigricantem habent. Nonnunquam etiam violaceæ, viridæ, lividæ sunt, ex majore humorum corruptione.

XXII. Si non solum cutem & internas partes occupent, febris gravior est, difficultas respirandi & angustia pectoris, tussis item major, dolor ventris & intestinorum adest.

XXIII. Variolæ autem & morbilli sunt ex acutorum numero & intra 14. dies terminantur. Erumpunt autem plerumq; circa diem quartum, augmentum in septimum protrahitur, status undecimo viget, ab undecimo ad decimum quartum est declinatio. Exsiccatio tamen variolarum nonnunquam ad vigesimum extenditur.

XXIV.

XXIV. Eventum autem eorum febris conjuncta, symptomatum magnitudo, ipsarum variolarum ratio & vires ægri indicant. Nam si febris atque omnia symptomata post variolarum eruptionem remittant, si largior hæmorrhagia narium præcesserit, si ipsæ variolæ sint magnæ, albæ ac rubræ, molles, eminentes, disparatæ, citò erumpant, & citò maturentur, salutaris eventus sperandus.

XXV. Febris contra si sit magna, & post variolarum exitum non minuatur; atque variolæ sint violaceæ, virides, lividæ, magnæ, duræ, tardius erumpant & maturentur, ac symptomata, quæ in febribus malignis adesse solent, sint graviora, viresque debiliores, periculum pertenditur; vel mortem inferunt, vel alia gravia mala in oculis, naribus, pulmonibus; in cute verò fœdas cicatrices relinquunt.

XXVI. Eadem ferè morbillorum est ratio, quæ quò febris & symptomata mitiora; minus periculi habent quò verò illa graviora, etiam plus periculi habent conjunctum. Citiùs tamen judicantur nec oculis ita infecti sunt. Rubri etiam qui citò apparent, mitiores; qui verò virides, violacei nigri & tardè exeunt, deteriores.

XXVII. Pessimum verò est, si vel variolæ, vel morbilli non penitus erumpant, vel iterum evanescant. Tum enim materiã intus relictã, vel intrò recedente, febris major accenditur, symptomata ingravescent, & ægri plerique pereunt.

XXVIII. Curationis autem primarius scopus est, ut naturæ per ambitum corporis vitiosam materiã expellere tentantis conatus adjuvetur: secundus, ut pravitas materiæ corrigatur; & tertius, ut vires roborentur, & tandem, ne partes aliquæ damni quippiam percipiant, præcaveatur.

XXIX. Naturæ conatus adjuvatur, si humores ad ambitum corporis propellantur, impedimenta, quæ materiã in expulsionem turbare possint, sive sit materiæ copia, sive pravitas, sive viscerum obstructio, removeantur.

XXX. Cum verò malum hoc infantes præcipuè invadat, venæsectione opus non est, quam ætas non tolerat. Si verò in

eam

in eam ætatem incidat, quod venæsectionem ferat, & sanguinis abundantia venæsectionem postulet, mox in principio, ante variolarum vel morbillorum eruptionem, vena aperienda, ut natura parte oneris levata, reliquum facilius expellat.

XXXI. Purgantia fortiora non usurpanda, ne natura in conatu suo impediatur, vel periculosum alvi profluvium excitetur. Si tamen alvus adstricta sit, leni clystere vel lenienti medicamento, quod simul fervorem humorum restringat, & partes internas roboret, laxanda est.

XXXII. Porrò videndum, an natura in expellendo officium suum faciat; Tùm enim eam multis medicamentis, præcipuè calefacientibus, adjuvare opus est. Si verò tardius erumpant variolæ & morbilli, adjuvanda est Natura expellentibus: simul tamèn ea admiscenda, quæ partes internas roborent, humorumq; fervorem mitigent ac malignitati resistent.

XXXIII. Expellunt radices & semina fœniculi, sem. napi, carduibenedicti, aquilegiæ, citri: Radices diptamni albi, pimpinellæ, capillus ♀. Flores lavendulæ jus cicerum rubrorum, scordium, scabiosa, myrrha, ficus, lentes, & alia quæ malignitati resistent.

XXXIV. Refrigerant verò, & simul malignitati resistent Acetosa & acetosella, lactuca, nymphæa, portulaca, hordeum, pruna acida, endivia, cichorium, plantago, succus citri, vinum Granatorum, succus Limonum, oxysaccharum rob ribium. In quibus exhibendis simul ad febrem & malignitatem respiciendum, & pro ut res postulat, medicamenta eligenda vel miscenda.

XXXV. Arabibus medicamenta è ficibus, lentibus, lacca, tragacanth. in usu fuère, quæ etiam à posterioribus Medicis non sine fructu usurpata sunt. Si tamen malignitas magna sit, etiam ad exquisitiora alexipharmaca confugere licet.

XXXVI. In primis verò danda opera, ne æger frigidum aërem admittat, sed potius in loco calidiore detineatur, ut pori cutis aperti serventur, & naturæ expellenti nihil impedimenti obiciatur.

XXXVII. Simul quoq; prospiciendum, ne oculi, nares & partes internæ lædantur. Ideoque pulmones medicamentis è papavere, lentibus, jujubis, violis, tragacanth. rosis; in testina roborantibus & adstringentibus moderatè; oculi, nares, similibus, quæ ex eorum affectibus patent, munienda ac roboranda. Os & fauces colluenda decocto plantaginis rosar. rub. nucum prunellæ syrup. granatorum & similibus.

XXXVIII. Dum pustulæ maturantur, pruritus excitatur. Cavendum ergo, ne scalpentur & turpes cicatrices excitentur. Si sanies sit alba & pustulæ non sint nimis magnæ tutissimum est, naturæ rem totam committere; si verò magnæ sint, aut plures conjungantur, ubi satis maturas esse ex mollitie, albedine, & doloris remissione constat, aperiri possunt, acu in primis argentea vel aurea.

XXXIX. Diætam quod attinet, ab aëre frigido æger omni studio prohibeatur: nec tamen etiam nimio æstu æger torquendus ejusque vires dejiciendæ. Victus ratio sicut in aliis febribus acutis instituenda, tenuis scilicet. Infantibus tamen, si appetitus ferat, plus cibi concedi potest: cum eorum corpora sint *ὀδίαζόητα*, & ob copiam innati caloris in ediam non ferant. A cibis etiam omnibus acribus salsis, pinguibus, qui tumorem, ebullitionem augere possunt, abstinendum, cibique, qui moderatè refrigerent & adstringant, sanguinisque fervorem temperent, usurpandi. Vinum in principio non convenit, sed potius cerevisia tenuis, vel aqua hordei. In progressu verò morbi; ubi symptomata remiserunt, adsuetis vini *ἐπιποφύσ* aliquid concedi potest.

XL. Reliquarum etiam rerum non naturalium modus sit temperatus, vigiliæ, & somnus moderata, æger quiescat. Incipientibus variolis & morbillis, brachiorum & crurum leves frictiones non inutiles sunt, quibus humores ad ambitum corporis evocantur. Vulgo usitatum est, pannum rubrum lecto, ut ægro in conspectu sit, ad motum humorum ad exteriora conciliandum imponere. Alvus aperta servetur, leni clystere, si opus sit.

XL I. Porro aliud febrium malignarum genus est, in qua maculae quaedam, pulicum morsibus similes, variorum colorum, rubrae tamen imprimis, in cute apparent, ab Autoribus punctulae, peticulae, petechiae nominatae: unde etiam febres haec particulares, petechiales, lenticulares nominantur.

XL II. Sunt autem haec maculae sine omni pruritu, extuberantia & exulceratione, qualis est in variolis & morbillis: & apparent maculae haec in hisce febribus praesertim in dorso, brachiis, cruribus & pectore, locis nimirum, per quas insigniores arteriae & venae transeunt. In facie vero raro apparent, cum pars haec externo aeri semper sit obvia.

XL III. Ortum autem habent haec maculae, ab humoris putridi & corrupti parte tenuiore; unde subito erumpunt & evanescent. Etsi vero fiant facultate expultrice humoris corrupti hanc partem ad ambitum corporis pellente: tamen raro id fit criticè; cum plerumque in principio, materia nondum cocta, erumpant, & nulla notabilis materiae per eas fiat evacuatio, nec melius inde aegri habeant, sed ferè, quò copiosius erumpunt, majorem materiae copiam arguant, quae tamen per maculas istas non satis evacuatur.

XL IV. Sunt autem macularum istarum variae differentiae. Primo enim colore differunt; suntque aliae rubrae, à sanguine temperatiore putredinem concipiente ortae; aliae flavae vel virides, si bilis putrescat; aliae puniceae & nigrae, si humor ater putrescat. Deinde qualitate. Alias enim copiosius erumpunt, alias parcius; aliae sunt majores, aliae minores, pro humoris copia, crassitie ac virtutis robore vel debilitate. Aliae in principio, aliae in progressu morbi erumpunt.

XL V. Febris ipsa, ex signis febrium malignarum in genere traditis cognoscitur: ac ubi sese maculae conjungunt, certius malignitatis argumentum sunt.

XL VI. Quid etiam de eventu harum febrium sperandum, ex iis, quae antea de prognosticis febrium malignarum in genere dicta sunt, patet. Ipsas maculas per se quod attinet, etsi bonum sit, materiam vitiosam ad ambitum corporis ferri:

tamen per maculas hæc sufficiens ejus evacuatio fieri non potest. Ideoque etsi copiosam materiam adesse significant, tamen eam non excutiunt, & propterea periculum potius, quam salutem portendunt. Neque tamen paucitas semper bona, & paucitatem materia arguit, sed sæpè etiam naturæ debilitatem significat.

XLVII. Maculæ hæc si delitescant, malam: cum significant materiam, quæ prius ad ambitum corporis ferebatur, intro jam vergere, & ad caput, cor, vel aliam partem internam moveri.

XLIX. Maculæ rubræ tutissimæ sunt: flavæ & virides pejores; pessimæ puniceæ vel nigræ.

XLIX. Etsi quæ in principio erumpunt, symptomaticè erumpant; quæ verò septimo erumpunt, criticè erumpere videantur: tamen nisi alia bona signa adsint, ijs non fidendum; cum materiam non evacuent. Si verò tardius apparent; malum. Accidit enim vel ob humorum crassitiam, in qua si incidat malignitas, non facilè superatur; vel ob cutis densitatem, quæ transpirationem liberam prohibet.

L. Tandem curationem quod attinet, ea, quæ curatione febrium malignarum in genere dicta sunt, etiam hic locum habent, nimirum alvus leniatur primò vel clystere, vel leniore pharmaco: vel si materia ad ventriculum vergat, ægerque ad vomitum proclivis sit, vomitus provocetur.

LI. Hinc si opus sit, vena secetur, idque fiat ante quartum diem, aut postea omittatur. An autem maculæ jam erumpentes venæsectionem impedire possint, in Institut. lib. 5. p. 1169. dictum.

LII. Cum verò Naturam ipsam ad ambitum corporis materiam protrudere videamus, & utile sit, in omnibus morbis malignis materiam à majoribus vasis ad minora & ambitum corporis protrudi, & viscera interna ab humoribus vitiosis libe-

liberari; naturâ hic conatus adjuvandus, & materia ad ambitum corporis tendens, mox per eum evacuanda; cum alias, quod malignum est, nullam coctionem admittat.

LIII. Itaque æger in loco mediocriter calido detineatur & mox medicamentum sudoriferum, quodque malignitati resistat, exhibendum, qualia supra de Peste & febribus malignis in genere, & de variolis ac morbillis sunt proposita. Ea tamen eligenda, quæ calorem febrilem non augeant: Febrisque & malignitas inter se conferenda, & ejus, quod plus urget, major habenda ratio.

LIV. Interdum in hac febre fluxus alvi supervenit, qui, nisi sit nimius, non suppressendus, sed naturæ negotium committendum, atque interim saltem alterantibus & malignitati resistentibus causæ morbificæ occurrendum.

LV. Postea pro viribus roborandis, margaritæ, corallia, C.C. lapis bezoar, succus granat. citri confectio de hyacintho, alchermes & similia exhibenda.

LVI. Extra quoque cordis regioni & pulsibus applicanda medicamenta, quæ venenum à corde avocent & malignitati resistant. Nonnulli etiam inunctionem ex hydræleo & nitro ad cutem laxandam humoresque evocandos adhibent.

LVII. Neque inutile fuerit, vesicatoria brachiis applicare; præcipue si exteriora frigeant atque interiora urantur, & dolores capitis, deliria, lethargus, & alia in capite symptomata adsint. Sic enim & humores ab inferioribus ad exteriora avocantur, & humores à capite revelluntur.

LIX. Fuit & illa febris maligna, quæ anno 1486. in Anglia cœpit, atque inde *sudoris Anglici* nomen accepit & quadraginta ferè annis in ea grassata est, & infinitam penè hominum multitudinem jugulavit. Hinc ex *Anglia* disseminata per *inferiorem Germaniam, Belgium, Hollandiam, Selandiam, Brabantiam, Flandriam, Daniam, Norwegiam, Galliam* ab anno 1525. usque ad annum 1530. vagata est.

LIX. Eadem Febris à sudoribus copiosis, qui hanc febrem comitabantur, *sudatoria* nominata fuit. Correpti enim hoc malo sine bubone, carbunculo, sudore diffluebant perpetuò & copioso qui finem non habebat, antequam morbus solveretur, quod in intra 24. horas accidebat. Simul languebant ægri; animo deficiebant, inquietudine, καρδιωγμῶν capitis dolore, cordis palpitatione laborabant, & pulsus celerem, crebrum inæqualem habebant. Et palpitatio cordis eos, qui convalescebant sæpè aliquot annis, nonnullos ad mortem usq; comitabatur.

LX. Causa autem hujus febris hærebat in subtilissima sanguinis parte & spiritibus, qui una afficiebantur; quod morbi brevitatis arguit. Et proculdubio sanguis & spiritus ex maligna aliqua aëris constitutione & corruptione hoc vitium contaxerunt; unde etiam in multis Belgii locis cum aëre nebuloso hoc malum subito invasit: & aves etiam sub arboribus interemptas repertas fuisse, & abscessus sub alis ciceris instar habuisse, observatum est. Qualis autem illa aëris correptio fuerit, vix explicari potest.

LXI. Erat autem hoc malum sævissimum, & intra 24. horas hominem vel jugulabat vel deserebat. Et primò quidem, ubi urbem aliquam invaserat hæc febris, singulis diebus, quingentos vel sexcentos corripiebat, vix verò centesimus evadebat.

LXII. Tota verò curationis summa consistebat in sudore, quem natura etiam sponte movebat, promovendo, & veneno debellando. Etenim omnes, qui sudorem non proliciebant, nec Cardiacis utebantur, auramque frigidam captabant, intra 24. horas moriebantur.

LXIII. In sudore tamen proliciendo vires attendendæ, & si eæ sint languidæ, ita is moderandus, ne vires debiles dejiciantur. Observatum enim est, nimio sudandi studio, & dum


dum ægri præter vires lectis operirentur, magnam hominum partem suffocatam fuisse. Inter sudandum à somno etiam ægri prohibendi erant.

LXIV. Utebantur autem ad sudorem proliciendum & malignitatem infringendam, Aquâ acetosâ, scabiosâ, terra sigillata, bolo Armeno, dictamno, carduobenedicto, zedoaria, tormentilla, nymphæa, borragine. Locum etiam species habent liberantis, & similia, quæ in febribus malignis & morbilis usurpari solent.

LXV. Intra sudandum ægri reficiebantur succo citri, granatorum acetosæ & aliis supra in peste propositis. Odoramenta quoque naribus admovebantur. Ubi æger satis sudaverit, sensim de tegumentorum pondere aliquid tollendum, sudorque tandem diligenter abstergendus.

F I N I S.





Ug 576

ULB Halle 3
004 814 231





f

sb

V077 m







16

DE FEBRIBUS
DISPUTATIO XIII.
De
VARIOLIS, MOR-
BILLIS, FEBRE PETE-
CHIALI ET SUDORE ANGLICO;

Cujus Theses,
CUM DEO,
SUB PRÆSIDIO


DANIELIS SENNERTI, D.
Facultatis Medicæ Professoris ac Senioris,
& Sereniss. Electoris Saxon. Medici,

Publicè defendendas suscipiet

ZACHARIAS POLNERUS
Vratislaviensis Silesius.

Habebitur ad diem 1. Novembr.

In Auditorio Medicorum,
Horis matutinis.



WITTEBERGÆ,
Typis Hæredum SALOMONIS AUERBACH,
Anno M. DC. XXVIII.